DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
CEPHALAEA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,
nec non
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. Professorum
pro
DOCTORIS MEDICINAE et CHIRURGIAE LAUREA
RITE OBTINENDA,
in celeberrima
C. R. ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Franciscus Peycha,
Bohemus Trhow-Kamenitzensis,

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Januarii 1842.

VINDOBONAE.
Typis Caroli Ueberreuter.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE AC BENEVOLENTIA,

ÆQUE INSIGNI,

HAS SCIENTIAE PRIMITIAS TAMQUAM GRATISSIMI ANIMI

TESTIMONIUM

sacras esse vult

devinctissimus

Auctor.

De Cephalaea.

Dolor est sensus mentem graviter adflictans ex violenta nervi irritatione. Quidquid igitur impetum vitalem in nervis ultra modum intendit, sive vi mechanica, sive chimica, sive dynamica, illos adgrediatur, dolorem excitat. Hartmann.

Pro variis, quae dolorem provocant causis, pro vario quo agunt modo et gradu ipsius etiam doloris varius gradus et modus erit. Sic redundant quoad variam sensationem molestam variae species, uti: urens, pungens, scindens, terebrans, jaculans, pulsans, gravans, premens, stringens, torquens, tendens, rodens, mordax etc.

Sed non solummodo quoad sensationem variae diversitates existunt dolorum; sunt adhuc et multae aliae rationes, quae differentias sat magnas ponere valent, ita quidem, ut sequentes oriantur dolorum subdivisiones.

3. Enkephalalgia metastatica, consensualis.

Diagnosis desumitur ex morbo in alio loco praegresso, et symptomatibus repentinae ipsius retropulsionis, deficientibus symptomatibus congestionis. Facies pallida reperitur, alternans cum fugaci rubore, dolor imminuitur situ corporis horizontali.

4. Enkephalalgia cruenta.

Haemorrhagia cerebri.

Subito intrat, sine prodromis, cito decurrit. Fere semper est symptoma laesionis cujusdam mechanicae capitis.

II. Cephalalgia externa.

Plerumque pressione augentur dolores, remittunt et intermittunt saepe. Conscientia non deletur, et solummodo in nonnullis casibus, et tunc solummodo sympathice cerebrum affectum apparet.

Alia classis Cephalaeae complectitur Dolorem capitis ex fonte dynamico ortum ducens, et quidem hic primo considerandus venit:

I. Dolor capitis ex systemate sanguineo peccante,

et quidem speciatim

A. Dolor capitis ex plethora.

Ecplexis, Hipp., Capiplenium, Bagliv.

Sensus gravedinis percipitur in capite dolorque mox pulsans, mox pungens, tensivus, augendus flexione corporis, motu et excitantibus. Praesto sunt: Oxyecoia, vertigo, somnolentia, deliria, difficultas cogitandi, reminiscendi. Conspicitur simul faciei rubor, oculorum splendor, illorumque protrusio, illacrymatio, imo lacrymarum calidissimarum fluxus, pluraque plethorae signa.

Pro varia vero sensatione, variisque molestiis, considerata diversa causa, substratoque vario diversae hujus classis distinguuntur species.

1. Cephalalgia, Carebaria, Cephaloponia, gemeiner Kopfschmerz, Kopfschwere.

Sensus pressionis, tensionis, gravedinis, obnubilationis in capite.

2. Dolor capitis pulsatilis, Crotaphium, Cephalalgia pulsatilis, Sphygmocephalus.

Sensatio molesta pulsans in capite, praecipue in

regione temporali cum insomnio. Pulsatio illa synchrona reperitur cum pulsu cordis, sed absque tumore. Qua causam praecipue agnoscit calamitates, aerumnias, variosque animi affectus, praecipue vero abusum spirituosorum.

3. Dolor capitis haemorrhoidalis.

Ille est duplex:

Gravativus, vertiginosus cum idearum confusione et alvi obstipationibus alternantibus cum diarrhoea; tumores adsunt ad anum haemorrhoidales vel sensatio peregrini corporis ad anum. Locum quem tenet reperimus occiput; individua haemorrhoidalia.

Altera species repraesentatur dolore atroci et saevo vitae periculum prae se ferente, originem ducens ex fluxu suppresso haemorrhoidali.

4. Dolor capitis menstrualis.

Ex iisdem rationibus duplex.

Occurrit in foeminis debilioribus, quibus minima sanguinis jactura causat stimuli impatientiam vel intrat menstruis suppressis eodem periculo, uti supra adduximus, plenus.

5. Dolor capitis ex physconia.

Hic nil aliud est nisi dolor ex congestione. Sanguinis nempe introitu in organon induratum denegato,

fluxus ad enkephalon invertitur, ibidem molestias parans descriptis haemorrhoidalibus vix absimiles.

6. Dolor capitis gravidarum.

Est atrox, praecipue frontem et oculos occupare solet.

Duplex ejus assumenda est causa. Una ex parte reprehenditur peculiari modo alteratum systema nerveum, altera ex parte turbae circulationis qua causa considerandae sunt, productae ex mole uteri gravidi aucta, subsequente compressione organorum vicinorum, tum abdominalium quam pectoralium.

B. Dolor capitis febricomes,

Cephalalgia febricomes.

Fere omnis febris, excepta febri hectica, incedit cum cephalaea, hinc est essentiale febris symptoma. Pro varia vero febris indole variat; sic ardens est in febri inflammatoria, in typhosa obtusa, in putrida terebrans, aut soporosa, aut premens in basi cranii.

C. Dolor capitis exanthematicus,

Cephalaea exanthematica.

In omnibus exanthematibus cephalaea adest, et quidem intrans ante eruptionem, et deinde illa per-

fecta remittens, vel praecipue sub eruptione, uti in scarlatina vel post suppressionem, uti in scabie et herpete.

In febrilibus deducendus venit dolor capitis praecipue a concomitante febri; sed tamen peculiaris conspicitur, speciatim in scarlatina.

Si intenditur cephalaea exanthemate pallescente, cum certitudine concludere possumus ad ejus repulsionem.

Sub impetiginis praesentia persaepe etiam dolor capitis persentitur, qui tamen non constans est; eo atrocior vero est cephalaea ex retropulso impetigine, quum illam aeger non qua sequelam retropulsionis considerat, gaudens de sanatione chronici illius impetiginosi mali, sicque novum tam diu praetervidens, donec summum attigerit gradum.

In plica polonica dolor capitis est continens, nullo tempore remittens, vesperi non exacerbandus, junctus vertigine, variisque sensuum affectionibus.

Huc etiam pertinet Cephalaea atrox, cariem cranio facile inferens, quae a plicae polonicae retentione aut capillitii plicosi resectione ortum ducit.

D. Dolor capitis catarrhalis,

Cephalaea catarrhalis.

Sensatio obtusa oppressionis, gravedinis, obnubilationis; vel dolor pungens, acutus et tendens, praecipue in osse frontali remittens, pressione, mitigandus; junguntur porro varia symptomata catarrhum narium et oculorum consuetim concomitantia.

E. Dolor capitis rheumaticus,

Cephalaea rheumatica, Rheumatismus capitis.

Dolor est partialis, pungens, tendens, augendus omni celeriori capitis motu, sternutatione, tussi etc. praecipue vero refrigerio, e quo saepissime, et speciatim frigore humido, ortum ducit; somnus deficit, omnes sensus externi irritati et valde sensiles reperiuntur, hinc magna stimulorum lucis et soni impatientia. Remittit saepe per diutius tempus, deinde nova intensione ingreditur, alternatque cum similibus doloribus in variis corporis partibus.

F. Dolor capitis ex Ophthalmiis.

Est dolor magis per sympathiam ortus, et varians quoad externa signa pro varia oculi inflammati parte.

Discernitur ab aliis doloribus loco, ex quo ortum sumit, et symptomatibus in oculo praesentibus diversis.

Dynamico modo secundo dolor capitis originem ducit ex alienatione systematis nervosi, seu sic dicta Cephalaea nervosa.

Ille dolor acutus est, vel obtusus, terebrans aut distrahens, gravans aut pungitivus, cum sensu aestus aut glaciei, fixus aut vagus, aeque subito invadens ac evanescens, saepe periodicus, totum caput vel partem occupans (Galea, vel Monopagia) et in altero casu vel latus integrum v. parvum tantum spatium. Modo citissime evanescit, nunc longius perdurat. Tenet praecipue suturam coronariam vel occiput. Affectiones sympathicas facillime excitans, cerebrum ventriculum et genitalia praecipue in consensum ducit.

Frequentissime occurrit in hominibus debilioribus, gracilibus, delicatulis, uno verbo nervosis.

1. Dolor capitis febricosus.

Cephalalgia febricosa.

Est larva febris intermittentis et cognoscitur ex illis, quibus istae larvae generatim dignoscuntur: typo suo, qui plerumque quotidianus esse solet, temporibus intermediis liberis, genio regnante febribus hisce favente; causa illi inducendae pari praegressa vel adhuc praesente; urinis multum tinctis cum sedimento la-

teritio, juvantibus et nocentibus. Algor et rigor, calor et sudor solemnes esse non solent. Hisce dignoscitur ab Hemicrania.

2. Dolor capitis toxicus.

Ille variat pro intoxicatione acuta vel chronica.

In casu acuto medici aliorsum dirigitur attentio. Ast venenis parca manu et per longius temporis tractum subministratis, ubi sanitas paulatim invertitur, vita, dira saepe et perstante cephalaea solum enunciat, semet veneno victas mox tradere manus, nisi arte in auxilium vocata renisum in istud subigendum intendere possit. Quam multum itaque intersit, hanc bene intelligere cephalaeam, facile patet. Cum vero tabes inde oriunda non praecaveatur, aut forsan jam praesens non sanetur, nisi perspecta intoxicationis specie, liceat mihi maxime obvias hujus fontis cephalaeas attingere.

a) Cephalaea ex plumbo, κατ' ἐξοχὴν metallica.

Dolor est premens, dirus, gravativus, obtusus; pressione non augetur; sedet praecipue in occipite et regione frontali; nonnunquam ad nucham extenditur; mens saepe soporosa. Accedunt adhuc varia colicae saturninae symptomata.

b) Cephalaea ab hydrargyro.

Si hydrargyri fit abusus, summos procreare valet dolores capitis, saepe rheumaticis non absimiles; praecipue mutationes in aëre doloribus hisce indicantur, sed tamen coelo sereno non penitus silent. Illis quoque solemnis est haec Cephalaea, qui Mercurio laborantes ejusdem vaporibus exponuntur.

c) Magisterium Bismuthi

plus quam unam praebet causam tum ad inducendam cephalaeam, et sanitatem invertendam, tum ad pulchritudinem devastandam.

d) Abusu remediorum narcoticorum

asservatis in diverticulo pluribus floribus multum odoris spargentibus iterum multoties excitantur dolores capitis.

3. Dolor capitis anemotropus.

Est, qui, quoties flat ventus ab austro, calidus, simulque humidus, certos homines constanter afficit, et accedente vento quovis alio evanescit. In hominibus rure degentibus vix observandus, urbicolas invadere amat, majorem supponens sensibilitatem. Prae-

cipuam vero illc dolor causam agnoscit in imminutione electricitatis in aëre, hinc saepissime sanandus per electrisationem.

4. Dolor capitis hypochondriacus et hystericus;

varia forma se repraesentat, sed saepissime sub forma clavi, sedem in vertice et occipite sumens. Est dolor levior, nonnunquam vero atrocissimus. Aegri sunt morosi, solitudinem quaerunt, citissime flent, et taedio vitae fatigantur.

5. Hemicrania, Heterocrania,

Hemipagia, Monopagia, Migräne, einseitiger Kopfschmerz,

Unum vel alterum latus affligere, et periodos servare amat. Quae est haereditaria, 7. jam aetatis anno saepe evolvitur, frequentius tamen exsurgit pubertatis tempore. Qui ad 25. annum ab illa liber est, omni amplius metu de morbo adhuc accipiendo carere potest. Annis climactericis ad majorem intensitatem et frequentiorem paroxysmorum repetitionem saepe increscit, senio progrediente regrediens et tandem silens. Paroxysmi hinc inde subito exsurgentes, frequentiis, variisque molestiis, vertigine, scotomia, aversione pulveris nicotiani etc. praenunciantur. Tandem semet evolvens, nunc citius, nunc tardius increscens ad tantam quandoque altitudinem evehitur, ut omnium

rerum incurii, cogitando impares, statuae instar rigidi ac quieti decumbant, nec minimum remusculum aut susurrum nec dubiam luculam perferant, neque loqui tantillum, quin imo neque tangi in qualibet corporis parte possint. Est autem ab initio sensatio levis pressionis aut frigoris, aut aquae depluentis in loco adfecto, transiens in dolorem pulsantem, tendentem, pungentem, lacerantem, conquassantem; hinc inde tamen paroxysmus levis tolerabilisque observatur. Inchoat saepe a palpebra, alias a radice nasi, aut quocumque tandem loco; diffunditur per frontem, tempora, occiput ad nucham usque, ad latera nasi, labia, gingivam; sed non secundum diramationem nervorum facialium. Principalis nonnunquam dolor in orbita est, oculumque protrudere aut retrahere videtur, largam causans epiphoram, visusque imbecillitatem et scintillationem cum naris ejusdem lateris obstipatione. Alias ad tempora saevities maxime restringitur. Arteriae temporalis et frontalis admodum tensae tanguntur, pulsus citatus, ad finem paroxysmi tardior.

Frons sudore frigido visco tecta; musculi faciei saepe convulsi, imo spasmi in remotioribus quoque partibus, vomitus, quo paroxysmus saepe finitur, insultus hystericus; sensus formicationis in extremitatibus; magna anxietas, magna virium prostratio.

Somnus, sudor universalis, vomitus, epiphora, nonnumquam epistaxis finem insultui imponere solent;

remanente debilitate et sensilitate majore. Hinc inde relinquit suggillationes, imo et ossium cranii a se distractio observata est.

Durat talis insultus per exiguum hinc inde tempus, alias per plures horas, imo et per tres dies.

Periodice recurrere amans ab initio ter quaterve quotannis invadit, paulatim frequentius omni mense, septimana, et saepius adhuc. In aliis casibus fixus ipsius typus admirandus est.

Ex omnibns hisce adlatis concludendum erit:

Est Hemicrania affectio systematis nervosi, in quo, et quidem eminenter in quinto pari et nervo faciali, receptivitas pro stimulo reagendi superat facultatem. Tali modo causae levissimae, nostram animadversionem fugientes, in remotissimas a capite partes agentes, Hemicraniae insultum excitare valent; facilius tamen, si in ipsum cerebrum, in nervos paris quinti, e. g. dentium, aut facialem ipsos, aut in nervos partium interiorem cum illis nexum sustinentes; e. g. ventriculi, genitalium etc. vim suam exseruerint.

6. Neuralgia frontalis,

supraorbitalis, Ophthalmodynia. Secundum decursum nervi frontalis reperitur; remittit per diem vel adhuc diutius.

I. Cephalaea ex vita plastica peccante.

Hic respicimus Cephalaeam, quae originem ducit ex alienatione functionis primarum viarum: Cephalaea abdominalis, gastrica, saburralis, stomachica.

Jam ex denominantibus elucet, illam duplicem esse; nam vel vires digestrices summopere sunt labefactatae, vel sordes adsunt et quidem extraneae vel inquilinae, quae nutritionis munus impediunt. Et sic redundant sequentes Cephaleae species:

1. Cephalalgia bradypepta;

illa consuetim tenet formam unilateralis hemicraniae, et periodice recurrit; sedem agnoscit supra oculum vel in occipite. Incipit cum levi horripilatione et stupore capitis; pedetentim augetur et praecipue meridie, ita, ut minimus capitis motus summos provocet dolores.

2. Dolor capitis

ex nimia oppletione ventriculi nutrimentis corruptis, abusu potuum spirituosorum.

Praeter symptomata gastrica alia dolor frontalis, premens, pungens, fixus cum vertigine, gravitate, aestu, fugaci faciei rubore, reliqua cute pallida,

somno inquieto, deliriis facile accedentibus. Augetur vel imminuitur aucto vel imminuto gastricismo. Evanescit praecipue vomitu subsequuto.

3. Cephalalgia biliosa,

in anteriori capitis parte eminens, saepius tam atrox, ut perterebrans ossa cranii disrumpere videatur. Facile accedunt deliria et alia symptomata biliosa.

4. Cephalaea pituitosa

ex nimia muci in primis viis colluvie, occiput obsidere diligit et premere solet.

5. Cephalaea hepatica

latus dextrum praecipue tenet, et cum alvi obstipationibus incedit.

6. Dolor capitis ex vermibus intestinalibus.

Tempora et radicem nasi petit et ex confirmata de vermium praesentia diagnosi stabilitur.

II. Cephalaea ex sanguificatione alienata.

1. Dolor capitis arthriticus.

Cephalaea arthritica.

Est constans arthritidis symptoma, ejus fluxum et refluxum concomitans.

Sed evolvitur etiam ex arthritide irregulari, atonica, et tunc est intermittens, periodicus, chronicus, tempore pluvioso, frigido exacerbatur et alternat cum doloribus in articulis, Cephalagra, Kopfgicht. Saepe sensatio etesiarum capillitium perstringentium, erectionisque capillorum insultum praecedunt. Dolor pungens est, tendens, atrox; saepe aeger illuditur, ac si membranae vi magna super cranium tenderentur. In casu arthritidis retrogradae dolor saepe atrocissimus maximo cum vitae periculo.

2. Dolor capitis scorbuticus.

Cephalaea scorbutica.

Plerumque est premens, terebrans, rodens, noctu augendus. Conspiciuntur simul epistaxis non levans, ecchimoses aliaque scorbuti symptomata, quibus a cephalaea distinguitur syphilitica.

3. Dolor capitis syphiliticus, venereus.

Cephalaea venerea.

Est fixus plerumque in ossibus, rodens, noctu praecipue saeviens, de die saepe plane disparens, quandoque cum intumescentia ossis, quae dum introrsum tendit, effectus pressionis in cerebrum exserit, discrimine plenos. Saepe extenditur in faciem — Prosopalgia et Rheumatismus venereus.

4. Dolor capitis rhachiticus.

Ex emollitione ossium cranii, primae scilicet omnium vertebrae.

5. Dolor capitis scrophulosus.

Praeterquam scrophulosis peculiarem vitae plasticae labem sistat, nunc cum nervorum stimuli impatientia, nunc cum torpore incedat, et sic fertilis fiat dolorum capitis mater: non minus frequentem diram et pertinacem excitat cephalaeam ex glandularum lymphaticarum obstructione, induratione, materiaeque earum conversione; quarum illae, quae extra cranii cavum existunt, pressione imprimis sua circulo sanguinis turbas inferunt, quae vero intus in cranio existunt, Pacchionianae pressionem in cerebrum exercent.

6. Dolores capitis ex scirrho, carcinomate etc.

Sub vehementissimis cruciatibus mortem adsciscunt.

Fx prius expositis, ordo nos ducit ad:

Cephalaeas, quae originem ducunt ex rationibus organicis alienatis.

Dolores capitis huc spectantes sunt atrocissimi saepe et mortem inducentes. Magna autem interest differentia num in interna cranii parte resideant, num in externa. Externae enim alienationes organicae nec tam atroces dolores suscitant, nec tantum afferunt periculum.

Huc vero pertinent:

1. Dolores capitis, qui dependent ab excrescentiis praecipue polypis, exostosibus, tumoribus cysticis, conversione substantiae glandulae pinealis in lapideam, ab aneurismatibus et varicibus et sic porro, quorum fons, diagnosis et cura aeque obscura sint.

2. Dolores capitis ex emollitione vel induratione cerebri.

Senibus est solemnis, vexatque ad mortem usque.

3. Dolores capitis hydropici, derivandi ab hydrope vel interno, vel externo.

Dolores ab hydrope interno sunt obtusi, cum sopore, mentis stupore, aliisque ipsius symptomatibus. Veniunt ex pressione in cerebrum.

Externus hydrops, sensum tensivum praeprimis excitans, a distentione cutis originem suum ducit.

4. Dolores capitis ex cephalopyesi.

Sub interna cephalopyesi dolor profundus, pressivus, gravans, fixus, augendus ubi aeger lateri incumbit, in quo pus colligitur, sopor et alia accedunt symptomata, ex pressione in cerebrum derivanda.

In externa cephalopyesi dolor externus, tendens, pulsans, pressione augendus, cum tumore elastico, fluctuante.

Inter dolores capitis summo cum jure referri meretur Metopantralgia, Stirnhöhlenschmerz.

Est ille dolor continuus, ardens, pungitivus, tendens, praeprimis sub corporis inflexione, causam agnoscens violentiam quamdam externam, vel suppressam coryzam. Dolor non est superficialis, sed fixus in regione frontali, supra oculos ulteriusque sursum deorsumque et ad latus unum alterumque sese extendens. Consuetim patitur solummodo unum fron-

tale cavum et nasus ejusdem lateris vel siccus reperitur (Xeromycter frontalis) vel humidus, (Coryza frontalis) cum frequentiori sternutatione et odore specifico. Consensualiter oculi irritationis symptomata reperiuntur.

Habemus sequentes species:

1. Metopantralgia inflammatoria,

Metopantritis, Inflammatio sinus frontalis, Entzündung der Stirnhöhle.

Ille dolor, quacumque causa sit inducta metopantritis, est continuus, ardens, pungitivus, tendens rodensque.

2. Metopantralgia suppuratoria.

Abscessus sinus frontalis, Eiterung in der Stirnhöhle.

Praegressa symptomata inflammationis, quae non solvebatur per crises evacuatorias; indicatur novo ingressu febris, dolore pulsante, rodente; sympathice intumescit erysipelatose palpebra superior. Via per nasum aperta, defluit pus et semper comitatur inamoeno in naso odore.

3. Metopantralgia catarrhalis, rheumatica.

Catarrhus sinus frontalis, Stirnhöhlencatarrh.

Sensus tensionis, plenitudinis, gravedinis, ardoris interni, vel dolor pungens, pulsans in regione frontali.

4. Metopantralgia a vermibus,

qui per nares in sinus frontales irrepunt, et obstipando, rependo, rodendo dolorem prurientem, pertinacem, ferocem, sensum motus, inflammationem et sic porro causant.

Non erit superfluum hic admonere, quod et in ipsa cerebri substantia nonnunquam adsint vermes, vel hydatides, pertinacem cephalaeam producentes. Sed signa diagnostica summopere fallacia sunt.

Opera in usum tracta.

J. P. Frank, de curandis hominis morbis. Epit. Lib. VII. de nevros. sect. II. Augustae Taurinorum 1819.

J. N. Edler v. Raimann, Handbuch der speziellen medizinischen Pathologie und Therapie. Wien, 1826.

P. C. Hartmann, pathol. gener.

D. C. G. Schmalz, Diagnostik, Dresden u. Leipzig.

Praktische Bemerkungen über die Kur des halbseitigen Kopfwehs oder der sogenannten Migräne, von D. T. v. Müller, Frankfurt a. M. 1813.

Martin, über Migräne und andere Arten von Kopfschmerz. Nach dem Französischen frei bearbeitet und vermehrt von D T. C. Flek. Ilmenau 1830.

D. Becker, die Kopfschmerzen. Leipzig.

A. Fischer, die Kopfschmerzen.

M. Stoll, dissertatio in morb. chron. Pars secunda.

Fr. Nobilis ab Hildenbrand, Pyretologia, Viennae 1833.

J. L. Schönlein's allgemeine und spezielle Pathologie und Therapie. Herisau, im Literatur-Comptoir, 1837.

Haase, chronische Krankheiten.

Theses defendendae.

I.

Puris indoles variat pro organo, in quo ejus formatio obtingit, hinc difficillimum eruere ejus naturam.

II.

Pharmaca ipsa non agunt, sed organismum ad actionem suscitant.

III.

Nullum manifestum atque tutum venerei viri penitus destructi signum habemus.

IV.

Phlebotomia hydropem curat et producit.

V.

Anatomia pathologica medicinae basis.

VI.

Pericarditis semper fere Rheumatismum articulorum acutum socium habet.

VII.

Tenotomia etiam est remedium antispasmodicum.

VIII.

In casibus desperatis matris vita prae illa fructus est salvanda.

IX.

Haemorrhois, Arthritis et Lithiasis iidem morbi sub diversa specie.

X.

Medicamenta scopo prophylactico adhibita nocent.

XI.

Idiosyncrasia omnem meretur medici attentionem.

XII.

Herniotomia ubi indicata, operatio alma.

XIII.

Cataractae extractio reliqnis methodis praeponenda.